



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 3. Schisma Mediolanense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Ecclesie, & honorem Regie Dignitatis Sæculum XI.
A.C. 1073.
ipsum spectare arbitramur, paterno affe-
ctu admonere. Quod si nos audierit, non
minus de ejus quam de nostra Salute gau-
debimus. Sin vero, quod non optamus,
nobis odium pro dilectione reddiderit, non
committemus, ut super nos veniat illa
comminatio, qua dicitur: Maledictus ho- Jerem. 48.
10.
mo, qui prohibet gladium suum a sanguine.
Neque enim liberum nobis est cujuscunque
mortalis gratiam Legi Divinae præpone-
re. () Eodem stilo utitur de Henrico*
Rege loquens in epistola post aliquot ex-
inde dies ad Beatricem Tusciae Comitiss-
am, Godefridi Ducis Novercam data, ep. II.
adjicitque, paratum se, si opus fuerit,
pro veritate sanguinem fundere.

§. III.

Schisma Mediolanense.

Inter hæc Ecclesia Mediolanensis schis-
 mate scindebatur Godefridi Castillio-
 nensis,
 O 2

(*) Meminerit Lector dictorum a Fleurio in præcedente Dissertatione §. XVII. Ceterum hic notare operæ pretium erit, quod illustrissimus Abbas Calmet de S. Gregorio VII. sentit, in Volum. VIII. Hist. Univers. p. 664. *Nemo dicat, Gregorium subito animi impetu abreptum egisse, quæ egit, aut ex arbitrio quodam in dies mutabili, sed ex principiis, quæ constantia & inconcussa bona fide credebat.*

Sæculum XI. nensis, qui vivo Guidone Archiepiscopo
 A.C. 1072. ejusdemque auxilio hunc Archiepiscopatum præsentem auro a Rege mercatus, ab
 Ital. Sacr. 20.4. p. 156. Episcopis Longobardiæ consecratus fuerat. Qua re Romam delata, Godefridus in frequenti Concilio excommunicatur. Quin & eodem anno 1073. ex civitate Mediolanensi fugere compulsus, & in arcem suam Castillionensem receptus, ibi obsidetur ab Equite Mediolanensi, nomine Herlambaldo Cotta, qui Catholicis fœderatis contra Simoniacos Ducem se præbuerat. Hæc cognoscimus ex Gregorii Papæ epistolis, qui omnibus S. Petro in Longobardia fidelibus (scilicet illis, in quibus ipse fiduciam posuerat) scribit, hortaturque, ne ullatenus Godefrido invasori opitulentur, sed omnibus viribus resistent. Scribens Papa Guilielmo Papiensi, qui Episcoporum in illa provincia præcipuus habebatur, præcipit, ut Godefridi & Episcoporum, in ejus causa excommunicatorum, machinationibus forte pectus opponeret, & Bonis omnibus, qui contra Simoniacum pugnarent, auxilium præstaret. In eundem finem scribit Beatrici Tusciæ Comitissæ, ejusque Filiæ Mathildi. Item Herlambaldo, quem ad prosequendum strenue bellum, quod adversus Usurpatorem susceperat, accendit.

ep. 15.

ep. 12.

ep. 11.

ep. 25. 26.